

D. D.
DISSERTATIO ACADEMICA
DE
PERSUASIONE.

Quam
Venia Ampliff. Ord. Phil. Aboënsis,
PRÆSIDE

Mag. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,

*Eloqv. Professore Reg. & Ord. Equ. Ord. R. de Stella Polari ;
R. Acad. Litt. Human. Hist. & Antiquitt. R. Societ.
Scient. Upsal. &c. Socio,*

PRO GRADU
publicæ disquisitioni submittit

JOHANNES SAM. THELAUS,

V. D. M. Angermannus,

In Auditorio Majori die 20 Junii 1801,

Horis a, m. solitis.

ABOË,

In Officina FRENCKELLIANA.

15

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
DIOECESEOS HERNOSANDENSIS
EPISCOPO,
REGII DE STELLA POLARI ORDINIS
COMMENDATORI,
S. S. THEOL. DOCTORI,
REVERENDISSIMO
DOMINO ERICO
HESSELGREN,
MÆCENATI SUMMO,

SA

IN

SACRAM REGIAM MAJESTATEM

SPECTATÆ FIDEI VIRIS,

MAX. REVERENDIS & PRÆCLARISSIMIS

SYNEDRII SACRI HERNOSANDENSIS

ASSESSORIBUS,

GYMNASIIQUE QUOD IBIDEM FLORET

LECTORIBUS,

PATRONIS FAVENTISSIMIS,

CRUM.



§. I.

Persuasionis vocabulum longe alia significatione apud veteres usurpant Rhetorices Magistros, quam quæ a Logicis adhiberi vulgo solet recentioribus a), facile animadvertere licet. His, qui minus ei pretii statuunt, assensum significat argumentis datum minus firmis, s. non nisi verisimilibus (demonstratione accurata haud munitis), aut quorum vis cogendi distincte non percipitur b); cui fidei generi ut præstantiorem opponunt eam quam *Convictionem* vocant, (vocabulo huic significationem ab usu veræ latinis alienam tribuentes c)), quamque argumentis
nitii

a) Cfr. ex. g. *WOLFFII Logica*, §. 1005. Peculiarem in lingua Anglica & huic & *Convictionis* vocabulo vim tribui, docet *SEARCH (TUCKER) Light of Nature*, V. I. Ch. XIII, §. 1; a qua tamen aliquantum diversam, ac ad vulgarem illam nostrorum Logicorum notionem propius accedentem, ipse adoptat.

b) Cfr. *WOLFIUS* l. c. §. 982, 1000. *FÉDER Log. und Metaph. Log.* §. 55.

c) Vid. *FABIUS Instit. Orat.* L. II. C. XV. *POSSIUS Commentar. Rhetor.* L. I. C. I. p. 1. Cfr. *ERNESTII*

niti apodicticis (certis atque immotis) docent d). Vetteribus persuasio non ad *Intellectum* modo docendum, atque rationibus five magis five minus firmis vincendum, assensumque ejus reportandum, referebatur, (qui sæpe, licet maxime indubius, ignavus tamen manet, nec ad agendum homines impellit), sed ad *voluntatem* quoque movendam & in partes dicentis pertrahendam, atque ad illud quod hic suadet *agendi* non modo consilium in audientibus gignerendum, sed etiam studium & conatum excitandum, pertinuit; quam vocis significationem vel ipsa ejus origo confirmat e).

A 3

Hoc

Init. Rhet. §. 6 ubi recte: *Et ea, inquit, persuaderi dicuntur, in quibus nulla dubitandi causa relinquitur, efficiturque ἀσφάλεια, & assensionis firmitas, quæ a perfecta demonstratione, pro rei cujusque natura, ducitur. Convictio, quam effici imperiti volunt, male factorum est, saltem errorum: neque vir bonus & prudens convinci gaudeat.*

d) Cfr. *WOLFIIUS & FEDER* 1. 1. c. c.

e) Recte *GESNERUS* in *Thesauro L. Rom.*, (Voc. *Persuadeo*) *Persuadere* explicat *foadendo inducere, facere ut quis non modo verum putet, quod volumus, sed etiam agat. Svadere* alicui aliquid cum conamur, non hoc solum agimus, ut eum ad *opinionem* nostram amplectendam adducamus, sed etiam ut ad illud, quod commendamus, suscipiendum & *efficiendum* permoveamus: qui conatus si nobis succedit, ei rem *persuasisse* dicimur. Unde *CICERO*: "An C. Trebonio *persuasisti*? cui ne *suadere* quidem ausus essem." *O. rat. Philipp. II* C. XI. Cfr. *ib.* C. X. Ac solide *BLAIR*

Hoc sensu, quem in his quoque pagellis retinemus, sumta *Persuasio*, sæpe quidem *Doctori* etiam, in rebus tractandis practicis versanti f), sed maxime *Oratori*, inprimis *Pragmatico* g), ut præcipuus suus finis spectanda est h), ad quem attingendum omnia sua

(*Lectures on Rhetoric*, V. II. Lect. XXV) "As the most important subject of discourse is *Action* or *conduct*, the power of Eloquence chiefly appears when it is employed to influence conduct and persuade to action. As it is principally with reference to this end, that it becomes the object of art; Eloquence may, under this view of it, be defined *The art of Persuasion*." Quæ egregie porro pluribus persequitur & illustrat, *Persuasionis præ Convictione* vim graviter demonstrans.

- f) Ubi videlicet ad consilia & mores discipulorum suorum moderandos atque formandos, non ad intellectum tantum eorum ditandum atque collustrandum, opera sua spectare debet; qualem in juventute & plebe, sapientiæ præceptis imbuenda, versari oportet.
- g) Verum quidem est, neminem qui dicit, hoc non spectare ut persuadeat; qui enim vel delectare vel placere illa oratio potest, quæ fidem auditorum non invenit? At quod Orator *Epididicus* ut adjumentum pariendæ delectationis spectat, id *Pragmaticus* ut præcipuum operis sui finem maxime attingere studet, ad quem omnes reliqui sui conatus referuntur.
- h) Idque recte *ARISTOTELES* (*Art. Rhet. L. I, C. II, § 1*; cfr. *VOSSIUS* l. c.) cum aliis præstantissimis Rhetorices Magistris veteribus monuit; contra quos temere

fua confilia, omnem conatum viresque omnes, conferre debeat.

§. II.

Fidei igitur apud auditores vel lectores comparandæ studium, commune est in utroque genere elaborantibus, atque quasi fundamentum operis universi. Nemo non vult, siue certis siue probabilibus nixus argumentis, ut quæ dicit vera audientibus vel legentibus appareant atque assensum eorum mereantur i). Sed hæc fides atque assensio quam spectant, non solo intellectu vel lucidissime docendo semper talis, qualem dicentes optant, vivida & efficax obtinetur; quin nulla intellectui luce affulgente, nullis, quæ illum assentiri cogant, rationibus exhibitis aut apprehensis, sæpe tamen fidem dicenti tribuî videas, sola auctoritate ejus opinioeque audientium de perspicacia illius, probitate vel benevolentia, elicitam :

disputat *FABIUS* l. c. ac rem minime tangens, sed asseclis tamen (ut neque ducibus) nec ille carens.

i) Bene igitur *BLAIR* l. c. "Good sense is the foundation of all. No man can be truly eloquent without it; for fools can persuade none but fools. In order to persuade a man of sense, you must first convince him; which is only to be done by satisfying his understanding of the reasonableness of what you propose to him."

citam: unde vis, quam sententiæ, consilia & præcepta majorum, doctorum, amicorum &c. etiam nullo firmata argumento idoneo, saltem luculenter non perspecto, in mentes hominum exercent, explicari potest. Ad quam familiam vis quoque affectuum pertinet, homines ad temere assentiendum cæco quodam impetu haud raro abripentium, Neque dare illud possumus, quod asserere quosdam audias, talem assensum argumentis distincte non cognitis nixum, inconstantem semper esse, vacillantem atque facile convellendum: cui enim ignota est pervicacia multorum præjudiciorum, inprimis mature inculcatorum, quæ in vulgo nunquam, ac ægre nonnunquam in sapientioribus etiam, omni licet adhibito sapientiæ apparatu, expugnari possunt? Quam indubitatum eis fidem multi adhibent, non quod rationes ejus animo suo clare obversantur, sed quod in has inquirere momentaque contraria expendere, nunquam instituerunt, aut ad vim eorum libere attendere ausi non sunt. Nec quoties judicare de enunciationis alicujus veritate dicimur, nexum vel pugnam prædicati cum subjecto (ut Logici nostri loquuntur) semper perspicimus, sed interdum perspicere nobis tantum videmur. Adest quidem ubique in omni nostro *assensu*, ratio aliqua illum gignens atque determinans; cui, ut constans ac stabilis semper maneat, nec ad illum revocandum procliviores sumus, acquiescentia etiam quædam mentis in judicio

cio facto, accedat oportet k): sed illa ratio non modo distincte sed ne clare quidem percepta semper est, neque tam ex interni inter subjectum & prædicatum nexus perspicientia, quam ex varie suborta externa quadam inter eadem conjunctione, aliquando nascitur, ac sæpe non nisi mechanico fere cuidam organi corporei, quo instrumenti instar mens in operationibus suis perficiendis utitur, habitui deberi videtur: ex. gr. cum asserto alicui magna confidentia allato, aut jugiter licet diu frustra repetito, quamvis nullis rationibus ad illud confirmandum additis, tandem assensu tamen homines reperias.

§. III.

Ut vero non *Intellectus* tantum assensio elici queat, sed *Voluntatis* quoque ad sententiam dicentis amplectendam & exsequendam excitetur studium atque conatus, non sufficit, ut hæc in genere *vera* habeatur, ac ne quidem ut quod suadet videatur in se *honestum* atque *utile*; sed maxime opus est, ut ad nos quoque relatum tale appareat: ut itaque videatur *nobis bonum*, appetendum, salutare, imo necessarium. Quumque recte doceant Philosophi, plerasque actiones nostras non tam ab *Intellectu* (immediate saltem)

B quam

k) Quo sensu Cartesianis concedi possit, judicia mentis (nempe illa quasi finalia) quodammodo ad voluntatem quoque (non ad solum intellectum) pertinere,

quam a *Phantasia* ejusque vi, multiplici idearum associatione & cœtu valida, fluere, unde consuetudines nostræ atque sic dicti habitus, proclivitates & dexteritates agendi maxime pendeant; quum constet, intellectui tantum semper haud esse in *Phantasia* imperii, ut eam gubernare, coërcere obsequiosamque sibi reddere valeat; quin hæc frequenter illi obluetur, eandemque aut opprimat aut fallat ac deludat 1): facile patet, quanta cura quantaque diligentia in *Phantasia* imprimis concilianda atque in suas partes pertrahenda, dicenti opus sit. Neque putandum est, hoc negotium aut facilius esse aut vilius atque exilius, quam Intellectum docere, & suum assensum, rationum ponderibus adhibendis, quasi extorquere.

§. IV.

Ad successum igitur oratori exoptatum adipiscendum vehementer pertinet, primo, ut hanc animi humani partem, suasque leges & rationes, suos quasi aditus, suas ansas, præsidia, adminicula, delimita, stimulos atque faces perbene noscat, atque in rem suam callide adhibere sciat. Quæ magna scientia est, & ingenii & experientiæ vim insignem poscens, nec sine acri & pervicaci diligentia comparari potest. Deinde veteres jam dudum observant:

1) *SEARCH* l. c. Ch. XIII, § 2, 4 & 5, nec non Ch. XI, §. 3—9.

runt Rhetores, non ipsarum tantum rationum lacer-
 tos, ac ornatum huic consilio accommodatum, ad
 fidem Oratori acquirendam conferre, sed præter il-
 las (λογος) maxime valere *Mores* dicentis; quatenus
 de eo in audientibus opinionem gignant, quæ sæpe
 vel sola ad eorum ei assensum comparandum sufficiat,
 quod plurimi magis a quo, quam quid dicatur, qui-
 busque id rationibus muniatur, quærere soleant. Ne-
 que *Mores* vel ipsorum nosse *Auditorum*, parum re-
 fert, ut ad eos se Orator accommodet, & cum rati-
 ones afferat, tum virtutes demonstret captui ho-
 rum, sensibus, opinionibusque convenientes, vel *Per-
 sonarum* quas tractat, ut iis scite adumbrandis & pro-
 babilitatem dictis conciliet, & sive favorem in eas-
 dem audientium sive odium excitet. Denique summi
 iidem Magistri docent, *Affectuum*, qui causæ profint,
 excitandorum facultatem tanti esse in Oratore mo-
 menti, ut vel sola ei victoriam comparare queat; cum
 omnem fere attentionem auditorum ad eam quam ma-
 xime velit partem convertendo, tum sua vi fidem
 dictis suis (maxime in rebus arduis, difficilibus &
 periculosis) imperiose quasi extorquendo m). Quæ
 omnia

m) Pulcre BLAIR l. c. "But chiefly, with respect to *Per-
 suasion*, is the power of *Passion* felt. Almost every man
 "in passion is eloquent. He transmits to others, by a sort
 "of contagious sympathy, the warm sentiments which he
 feels, his looks and gestures are all persuasive; and na-
 "ture here shows herself infinitely more powerful than
 "all art."

omnia plene adeo atque dilucide dudum explicata & demonstrata sunt, ut addi nihil admodum possit. Neque de *usu* potentium horum persuadendi adjumentorum, eorumque ad causas, tempora, & personas prudenti attemperacione, non satis præceptum ab iisdem peritissimis doctoribus invenias: ita ut nihil propemodum quod ad veram persuadendi artem pertineat, viamque ad hanc animi nostri partem cognoscendam aperiat, intactum ab iis atque imperfectum esse videatur.

§. V.

Quod autem populari illi eloquentiæ, quæ in veteribus quibusdam populis (Athenis ex. gr. & Romæ) quondam inprimis dominabatur, hodie (magno nostro bono) minas loci sit, civitatum nostrarum forma atque conditione aditum illi præcludente; ac præter Epidicticæ illius diligentæ facultatem, quæ in sensibus nostris suaviter potius deliniendis quam potenter concutiendis versatur, opera eorum qui publice dicunt magis fere in docendo & animos ad assensum pedetentim & leniter adducendo quam fortiter impellendo & quasi expugnando, collocanda est: non omnes quidem veterum artes persuadendi, sive præcepta quæ tradunt aut subsidia quæ suggerunt, ad nostrum usum traduci jam posse, patet. Cave tamen inde concludas, vel nihil prorsus utilitatis ex ista eorum præceptione ad nostros Oratores adfluere, vel ad persuadendi negotium, consilium atque curam

curam horum præcipuam referri non debere. Quotquot ad populum dicunt, hominibus constantem varii ingenii, subtiliore plerumque litterarum cognitione destitutis; illi meminert, popularem veterum dicendi rationem atque morem sibi diligenter esse perquirendum & quoad res permittit adhibendum, animos ad docilitatem & attentionem callide esse adducendos, sensuum & phantasiæ auxilium argumentis suis quantum fieri possit comparandum, orationem suam non spinosam, aridam atque frigidam, ut somnum audientibus obducat, sed vividam, sensu & motu debito, ut viam ad animos faciliorem inveniatur, quasi animatam, esse oportere: ut de moribus suis nihil jam moneamus, cum ex vita tum ex ipsa oratione sua eminentibus. Minime quidem persuasionis felicitati obest, quin valde prodest, vera rationum soliditas, ac vehementer illam adjuvat, si principii dicta innitantur apodicticis sive indubiis, si notiones accurate definitæ fuerint & sint constantes, si demonstrationes adhibeantur firmæ & validissimæ: modo habitus ille tristis atque jejunos, qui in Scholis regnat, iis non inducatur; modo Ordinis studio adjecta summa claritas & perspicuitas, quæ sine vera *Copia* oratoria locum habere nequit, iis simul comparetur. Imagines itaque aptæ, exempla idonea, amplificationes commodæ, haud desunt. Nec Lingua omniumque ornamentorum orationis cognitio uberrima, & eorum scite adhibendorum dexteritas insignis, in dicente deficiat n). Qua diligentia adhibi-

C

hibi-

n) Quæ omnia ostendunt, quot quantæque dotes ac virtutes,

hibita, persuasio parietur tranquillior quidem, sed
 æque tamen fructuosa ac multo constantior, licet
 non tam vehemens atque fervida, quam illa, quam
 olim gignere veterum valebant oratores. Quæ res,
 & operi huic laudem vindicat qua digna est, & e-
 jus diligenter persequendi cum utilitatem & necessi-
 tatem, tum veram rationem, & præceptis præcla-
 ris & exemplis illustrissimis nobis traditam atque
 commonstratam, cognoscendam & agnoscendam simul
 præbet.

cum ingenii tum animi, ad egregiæ Eloquentiæ veram
 comparandam laudem requirantur. Ut de *Pronuntiatio-
 nis* eximia vi incredibili, nec illa sine singulari & natu-
 ræ felicitate & studii contentione acquirenda, nihil di-
 camus.
